



NOVA  
**POSONIENSIA.**  
 ANNO CHRISTI MDCC XXI.  
 DIE XXXI. DECEMBRIS.



*Adritt a. d. 25. Nou.*

Omnia, quæ nunc in aula capiuntur consilia, eo spectant, vt, quæ ad geminum illud regie prolis conubium pro dignitate concelebrandum, pertinent, rite disponi queant. Fama quoque hic exiit, Gallos nouas aliquas Commerciorum conditiones, Hispanis valde fauentes, obtulisse, qua de re quid sit sperandum, dies docebit.

*Lisbona, a. d. 18. Nouembr.* Hodie scriba legati nostri, qui in aula Magnæ Britannie regis est, huc accessit, eaque propter sanctius mox fuit coactum consilium. Nonnulli persuadere sibi volunt, mercatorum Anglicorum causa id factum, quod non ita pridem ob euentam ex regno nostro ballucem, in cu-

stodia rex attinere iusserat, ea enim re, vehementer tum temporis anglos fuisse concitatos, certum est.

*Parisis a. d. 12. Decembr.* Nudius ab hinc quartus *Excellentissimus Cardinalis Bissyus* Roma redux factus, postridie statim eius diei, regem salutandi causa adiit, ab eoque benignissime ac suavissime acceptus est. Colluuium latronum atque sceleratorum hominum & in vrbe & passim in vicinia nostra in dies singulos augetur magis. Quorum cum haud exiguus uumerus in silua prope meldas esset, turma militum missa fuit, vt, quos posset, comprehenderet, sed homines scelerati tam vehementer resistebant, ac potius insistebant militibus, vt hi tribus de numero suo amissis, redire rebus infectis debuerint. Die Mercurii Baro Pentenriederus, Imperatoris Rom. legatus cum *Cardinali Boiso* in colloquium

quium conuenit, in quo de rebus sum-  
mis actum esse putant.

*Londini a. d. 5. Decembr.* Euulgati his  
diebus hic sunt duo libelli, quorum al-  
ter colloquii, alter epistolæ instar est  
compositus. In horum altero Lawii res  
gestæ in Gallia primum excusantur, de-  
inde vero demonstratur comprehen-  
dendum esse hominem atque regno  
eiiciendum. Heri *Jamesius Schildkna-  
pius*, mercatorum Portugallicorum haud  
postremus *Parlamento* inferiori adscrip-  
tus, sclopo manuario, duabus glandi-  
bus onerato capitique suo adposito,  
mortem sibi ipse consciuit; sed cur id  
fecerit, nondum cuiquam constat.

*Alia ex eedem urbe a. d. 9. Decemb.* Ho-  
dierna die Lawius a Duce *Argatheliæ* \*  
nec non *Issaio* atque *frassfordio* *Comiti-  
bus*, ad iudicium regium deductus, ibi.  
que de parricidio, quo se olim iniqui-  
nauerat, cum *Beauwilsonium* interfe-  
cisset, publice absolutus est, cuius iu-  
dicii ut testatior esset memoria, quid-  
quid egerunt iudices, in *regeſta* relatum  
est. Proximis diebus *Cadoganus* comes  
ex *Hollandia*, *Suttonius* eques ex *Gallia*  
rediere. Ille sex diebus continuis fuit  
expositus tempeſtatibus, statimque cum  
rediisset, regis adeundi facultatem ob-  
tinuit, ab eoque per quam blande est  
exceptus. Quando *Polwartius* in *Gal-  
liam* sit concessurus, nondum certi quid  
statutum est.

\* *Herzog von Argyle*. Est vero *Ar-  
gathelia* prouincia meridionalis *scotiæ*,  
atque in ea urbs cognominis.

*Hagæ Comitum*, a. d. 16. Decemb. Vi-  
carius classis prefectus, *Somelsdickius*  
*Amstelodamo* nuper ad nos reuersus  
est. Ferunt perplacuisse cunctis *Belgii*  
fœderati proceribus, quæcunque de re-  
bus a se gestis commemorauit, iamque  
statutum esse ut iterum vere proximo,

sed cum pluribus nauibus, aduersus pi-  
ratas *Algerianos*, qui nauigationem mi-  
nus tutam reddunt, dimissum iri.

*Hamburgi a. d. 13. Decembr.* Ex *Sue-  
cia* accepimus, naues quibus milites in  
*Finnoniam* transportati sunt, breui esse  
domum redituras. Ferunt etiam, con-  
spirasse ibi nonnullos in regis caput,  
sed comprehensos iam esse quosdam,  
qui postea rigidius examinati, conspi-  
ratorum plus minus octoginta detexe-  
runt. Hos ex eorum esse numero, qui  
militari munere functi, atque a rege ita  
poscente iam rerum statu, ex auctôrati,  
*Rufforum* sequi partes volebant. Hi  
postquam intellexissent, consilia sua ad  
regis aures peruenisse, fuga salutem  
quæsiuerunt, neque plures, quam tres  
sunt comprehensi.

*Francofurtum ad Mœnum*, a. d. 14. Dec.  
Nudius tertius, templum, quod a diuo  
*Nicolao* nomen gerit, solemni ritu de-  
dicauimus. Posteaquam enim hora, an-  
te meridiem, octaua, scholarum anti-  
ſtites, cum sacerdotibus, in templum  
peruenerant, hymni aliquot, in laudem  
diuini numinis compositi, & præter  
eos, suauissimus fidium, tiliarumque  
concentus, admisto tubarum clangore,  
& tympanorum strepitu, exaudiebatur.  
Posthæc *Pritius*, doctor, in concionem  
prodiit, & sacram conscendens cathe-  
dram, verba, quæ *Genes. XXVIII.*  
*commat. 17. 18. 19.* inueniuntur, po-  
pulo recitauit, Deumque precatus est,  
ut illa hoc etiam tempore rata esse iu-  
beret. Ut autem singula, quæ sacris  
vsibus destinari solent, hoc die vsita-  
tis ritibus initiarentur, non solum ad  
sacram cœnam accedentes publice ad-  
mittebantur; sed desponsatorum etiam  
par solitis a sacerdote iungebantur cæ-  
rimoniis, quemadmodum & duo infan-  
tes, mas, & femella, sacro fonte ad-  
ſperſi,

spersi, & in Christianorum cætum recepti sunt. Atque ejusmodi fuere sacræ dedicationis carimonix, quas Wezelio, Barone, & imperatoris Romani a legato, multisque aliis præsentibus, peractas nouimus.

*Ex prouinciis, quas Albis inferior præterfuit a. d. 10. Decembr.* Quemadmodum ex litteris, Londino adlatis perspeximus, nobiles, qui per omnes magnæ Britannix prouincias dispersi sunt, omni adnituntur studio, vt pro se quilibet, amicorum, quos habet, ope, illorum suffragia, penes quos, conuocatis denuo regni comitiis, novos senatores eligendi potestas est, jam sibi conciliet. Ex iisdem quoque litteris intelligimus, fore, vt prorogatis hisce comitiis, magnæ Britannix rex in Germaniam abeat, ibique res maximi momenti sua moderetur auctoritate; vtrum autem princeps Wallix, an alius a rege constituetur, qui summæ interim imperii præsit, id incertum adhuc fuisse, adfirmant,

*Amstelodamo, a. d. 5. Decembr.* Nudius quartus, Brandius, qui imperatoris Rufforum in hac vrbe negotia agit, magno sumtu pacis, inter Ruffos, ac Suecos factæ, memoriam recoluit. Præter adparatissimum enim, quod dederat, conuiuium, solemnes saltationes, vocis, tiliarum, neruorumque cantus, festiuorum quoque ignium spectaculum, quod Jani repræsentabat templum, exhibitum fuit. Altero die idem templum, variis ignibus illustratum, & inscriptionibus, quas heic adtulimus, ornatum, conspiciebatur:

*Londino a. d. 27. Nouemb.* Atrox illa tempestas, d. 16. Nou. coorta, tam horrendis mare exasperauit fluctibus, & tanto sæuiit impetu, vt vltima terrarum orbi imminere tata existimarent, qui oram maritimam incolunt. Præter

decem & sex naues, quas mare haufit, plurimæ adhuc in vadis hærent; nauis autem velox, qua Belhauius vehebatur, cum omnibus fere hominibus naufragio periit. E trecentis enim hominibus, qui impositi fuerant, non nisi duo remiges, cum puero incolumes in terram enauerunt, qui nauem illam, hora noctis decima, haud longe a promontorio Lizzardo, rupibus illisam, & a fluctibus deinde absorptam, commemorant.

*Petriburgo, a. d. 15. Nouemb.* Magnam nobis hesternus dies adtulit calamitatem, quo sæua orta tempestas, tam diro in hanc urbem incubuit impetu, vt præter omnem opinionem, nos maris expositos fluctibus videremus. Præter tabernas, fornicesque mercatorum, quos maris eluerant vadæ, ædificia quoque urbis ingens fecerunt damnum; & tabulas, quæ a fluctibus in littus eiiciuntur, non sine maximo doloris sensu, vbiuis locorum conspiciuntur.

*Ex Holsatia, a. d. 5. Decembr.* Imperator Rufforum, quem Moscua abiturum, omnes crediderant, Petriburgi adhuc moratur, nec prius ingrediatur iter, quod animo destinauit, quam negotium, de commerciis Moscua, & Archangelopoli Petriburgum transferendis, confectum fuerit. Multum jam abiit temporis, ex quo de duce Megalopolitano nihil prope ad nos perlatum est, tam incerta enim sunt omnia, vt ne locum quidem, vbi ille nunc viuit, resciscere potuerimus. Alii enim eum Damitii agere, alii Petriburgum abiisse, dicunt. Præterita 5. Decembr. Scholtenio, summo quondam apud Danos militiæ præfecto, iusta persoluta fuerunt, corporis autem exuix Lubeca Altenauiam aduectæ, in sepulcro, quod extrui sibi viuo iusserat, reconditæ sunt.

Sub aquila Ruffica.

Tres scuto *Suenonis* habet gens fera coronas  
 At vos augusto vertice fertis *aves*  
 Has bello auxistis, firmastis pace: perenne est  
 CAESARIS, &, juncta *Pallade*, *Martis* opus.

Sub insignibus Ruffiæ.

Exere læta caput ter felix Ruffia: MAGNO  
 Gaudia de PETRO concipe *magno* tuo.  
*Magno* prius dicta es; nunc *major*; *maxima* fies  
 Si parias plures *Ruffia magna* PETROS.

Sub pedibus Famae, buccina instructæ,  
 Suspiciant vires vasti latera vltima mundi  
 PETRE, tuas: data longa sciant tibi nomina MAGNI  
 Secula pro meritis, canat arma virique labores  
 Fama: tuos celebret numquam oblitura triumphos  
 Posteritas, ferique per annua festa nepotes  
 Nomen, & acta colant PRIMI immortalia PETRI.

In altera templi parte.

Auspiciis, inuicte, tuis distracta tot annis  
 Regna, catenato respirant pace Gradiuo.  
 Aurea (floret enim per te gens tota) recurrent  
 Secula, & in vestro stabilem Dea prospera figet  
 Imperio sedem: atque opibus populoque potentes  
 Ipse annis meritisque grauis miraberis vrbes.

Alia.

Viue PATER PATRIAE, spes vna salusque tuorum,  
 Gentis amor, regnique decus: quot vixerit annis  
 Tot populo dederit *curae* noua signa *paterna*.

Alia.

Teque tuosque diu, digna cum conjuge, feruent  
 Numina, & æqualem meritis, post funera PRIMO  
 Dent *Successorem*, PETRI de sanguine, PETRUM.

Vienna a. d. 27. Decembr. Legio Lob-  
 kowitziana cataphractis equitibus con-  
 stans, superiori die mercurii ex Sicilia  
 huc accessit, paucos post dies in Hun-  
 gariam migratura, vt ibi hiberna, quæ  
 ei assignata fuerint, sumat. Accessit  
 præterea Bellogrado, Alexander Prin-  
 ceps Württembergicus.

P. S. Omnibus, tam superiorum, quam inferiorum ordinum membris fe-  
 licia quæque anno jam jam surgente ex animo precatur!

Johann Paul Royer Typogr.